

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVIII - N. 1

1986

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA Pio XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1986

Sodales, Officiales et Consultores Commissionis 3

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Constitutio Apostolica <i>Spirituali militum curae</i> circa Ordinariatus militares seu castrenses	12
Dalla lettera del Santo Padre all'Episcopato del Brasile	18

ALLOCUTIONES

Dal discorso del Santo Padre a Vescovi brasiliani in « Visita ad Limina »	22
Discorso del Santo Padre ai Membri del Tribunale della Rota Romana	26
Discorso del Santo Padre ai Giuristi polacchi	31
Dal discorso del Santo Padre al Congresso Internazionale di Teologia Morale	35
Dal discorso del Santo Padre alla Plenaria della Congregazione per i Sacramenti	39
Dal discorso del Papa ai partecipanti al V Colloquio giuridico organizzato dal Pontificio Istituto « Utriusque Iuris » dell'Università Lateranense	43

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

I. Epistula Ordinariis locorum missa: in mentem normae vigentes de exorcismis revocantur	46
II. Dall'Istruzione <i>Libertatis conscientia</i> , su Libertà Cristiana e Liberazione	48

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus Studiorum « De Clericis » (Sessio III)	54
II. Coetus Studiorum « De Clericis » (Sessio IV)	111
III. Coetus Studiorum « De Religiosis » (Sessio III)	171
IV. Coetus Studiorum « De Laicis » (Sessio III)	210

NOTITIAE 252

Opera a Bibliotheca Commissionis recepta 253

COETUS STUDIORUM « DE RELIGIOSIS »

Sessio III

(habita diebus 22-26 ianuarii 1968)

Diebus 22-26 ianuarii 1968 habita est, in Aula huius Pontificiae Commissionis, tertia sessio Coetus a studiis « De religiosis ». Iisdem conventibus adfuerunt, praeter Secretarium Commissionis, qui Praesidis munere functus est, et Coetus Relatorem designatum, septem Consultores. Legitimo impedimento detenti, adunationibus adesse non valuerunt quattuor Consultores.

Ineunte sessione, Rev.mus Commissionis Secretarius salutem dicit Consultoribus, cum eisque nominationem communicat Consultoris, qui posthac Relatoris munere fungetur, nam Relator designatus, nuper electus est suae Congregationis Superior Generalis et Em.mum Commissionis Praesidem rogavit ut ab hoc officio eximeretur, propter multas curas in quas nunc incumbere debet ratione novi muneris suscepti.

Relator substitutus commentatur quod in scriptis exposuit. Aserit in duabus prioribus Sessionibus huius Coetus studiorum ius disciplinare religiosorum intactum adhuc remanere. Quapropter opportunum dicit, antequam manus apponatur ad recognitionem huiusmodi iuris, normas quasdam elaborare quae directivae sint laboris in subsequentibus Sessionibus. Suam opinionem patefaciens, dicit recognitionem iuris religiosorum sequi oportere lineas statutas a Concilio Vaticano II et nominatim in Constitutione dogmatica *Lumen gentium*, in Decreto *Christus Dominus* et praesertim in Decreto *Perfectae caritatis*. Prae oculis quoque habere oportet quae de renovatione institutorum religiosorum dicuntur in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* necnon *Principia quae recognitionem Codicis Iuris Canonici dirigant* ab ipsa nostra Commissione elaborata atque a Synodo Episcoporum novissime adprobata. Affirmat Relator se, attentis omnibus citatis documentis, posuisse in sua relatione quattuor principia directiva pro futuro labore, quae, iuxta suam opinionem medium aptum esse possunt ad vitandos defectus vigentis legislationis religiosos respicientis et ad novum ius condendum

iuxta hodiernas et futuras exigentias religiosorum institutorum et Ecclesiae. Dicta principia illustrat et discussioni proponit.

Est Consultor qui in memoriam revocat acta in Synodo Episcoporum consilia quidem esse, haud vero normas proprie dictas.

Secretarius Commissionis respondet tamen heic agi de veris principiis, a Synodo Episcoporum amplissima suffragatione approbatis. Synodi acta habent re vera characterem consultivum relate ad Summum Pontificem, quippe quae sint consilia ei exhibita qui consilium postulavit, nempe Summo Pontifici. Si autem Romanus Pontifex explicite nihil dixerit, talia principia implicite acceptata considerari valent. Ea de causa, Em.mus Commissionis nostrae Praeses conficiendam statuit «Positionem» ubi continentur principia proposita et manifestatio sententiae Patrum Synodalium, pariterque Em.mus Praeses voluit ut haec omnia Membris ac Consultoribus Commissionis transmittenterentur, ut in labore nostro continenter pree oculis habeantur. Ideo haec principia, concludit idem Consultor, tamquam normae directivae servanda sunt.

Rev.mus Secretarius, attento unani consensu statuendi quaedam principia directiva pro recognitione iuris religiosorum et illa examinandi quae a Relatore proposita sunt, ab eodem Relatore petit ut principia proposita ad formam magis enucleatam redigat et serius coetui examinanda iterum proponat. Quod Relator libenter acceptat. Interim — ait Rev.mus Secretarius — procedere possumus ad examen schematis Tituli I in relatione propositi.

Rev.mus Relator primum titulum modo generali breviter exponit et notat se in elaboratione huius tituli abstinusse a quaestione de monachis quia in hac parte monachi aliis religiosis aequiparantur, ubi ius eos tangit, et etiam, quia de statu monachorum proprio sermo erit infra, ubi agetur de iis quae sunt propria quibusdam religionibus, dum nunc agendum est de iis quae pluribus religionibus sunt communia.

Prosequitur Relator se noluisse pro momento difficilem materiam exemptionis religiosorum attingere. Haec potius examinanda veniet in quaestione de regimine et de relationibus religiosorum cum Superioribus Ecclesiasticis. Desiderat in examine huius quaestionis plenam cooperationem Consultorum coetus, quae ei promittitur.

Unus e Consultoribus preeponendam esse existimat quandam partem generalem, nempe normas quae ostendant substantiam vitae religiosae et includant relationem inter vitam internam et externam disciplinam necnon relationes forum internum et externum.

Rev.mus Relator respondet quaestionem de substantia vel natura vitae religiosae seu status religiosi per longum et latum disceptatam

fuisse in prioribus sessionibus, uti patet ex relationibus et ex canonibus approbatis. Normae autem iuridicae non possunt tangere, nisi indirecte, vitam internam religiosorum, quae pertinet ad dynamismum charismatis vocationis a religiosis recepti. Assentient duo Consultores.

Est Consultor qui expungendas considerat normas de religiosarum confessariis.

Alter Consultor p^rae oculis habendum censem mundum missionarium. Recolit enim in prima adunatione generali nostrae Commissionis propositum fuisse ut Codex Missionarius redigeretur, quae quidem propositio approbata non fuit, sed remanet tamen quaestio de exigentiis missionalibus, quia in locis missionum religiosi forte habent positionem magis significativam quam in aliis locis: normae autem de religiosis condi nequeunt praescindendo a loco in quo religiosi laborem suum exercent, qui locus non est solummodo ille ubi ius commune viget, sed etiam territorium missionum, cum suis peculiaribus adjunctis ac exigentiis. Ideo suggerit: *a*) canones redigantur cum quadam elasticitate; *b*) vitetur nimia insistentia circa specificationes ac differentias inter diversas familias religiosas: servandum quidem est proprium patrimonium spirituale uniuscuiusque religionis, et hoc in sensu normae condi debent, sed attendendum est imprimis ad communem laborem apostolicum, quae necessitas fortius persentitur in territoriis missionum; *c*) praecedentes considerationes applicentur quoque ad institutum exemptionis religiosorum.

Omnis concordant recognitionem iuris religiosorum faciendam esse attentis quoque exigentiis regionum missionalium.

Rev.mus Relator proponit ut considerentur canones huius partis Codicis forte expungendi, ut legislatio minus intricata fiat. Considerandam etiam censem personalem religiosorum libertatem, ita tamen ut disciplina in institutis apte servetur. Quaestionem quoque suggerit de suppressione iurisdictione speciali pro religiosis mulieribus.

Rev.mus Secretarius adiungit laborem huius coetus tendere debere ad simpliciorem reddendam legislationem generalem de statu religioso, in cuius rei studium Consultores incumbant oportet iuxta propositionem Relatoris.

Consultor quidam manifestat nonnullis in dioecesibus Africae Episcopos prohibuisse Congregationibus religiosis non africanis exercitium proselytismi. Hoc toleratur a S. C. pro Evangelizatione, sed non est iustum.

Est Consultor qui postulat ut serventur differentiae charismatica, sed simul foveatur coordinatio apostolica.

Rev.mus Secretarius ante omnia p[re] oculis habendum censem principium expositum in Relatione circa dupl[icem] acceptiōnem collegialitatis. Collegialitas enim dupli sensu intelligi valet, alio quidem am[pli]o, alio vero stricto. Multae autem erunt consequentiae et implicationes si sensus strictus seligatur, et sufficere videtur gubernatio collegialis quae iam nunc habetur per capitula, etc., quaeque sufficientem flexibilitatem p[re]ebere potest vitae religiosae.

Rev.mus Relator proponit ut transitus fiat ad ea quae pluribus Religionibus sunt communia.

Est Consultor qui necessarium non existimat ut hic Coetus ordinem Codicis sequatur, et proponit ut prius agatur de normis generalibus pro religiosis.

Rev.mus Secretarius respondet iam alium Coetus incumbere in studiū Statuti generalis omnium christifidelium, ubi multa dicuntur de libertate ac dignitate personae, etc. Tractatio ergo de normis generalibus esset repetitio, qua de causa magis expedit ut nunc considerentur ea quae sunt propria status religiosi. Quaerit igitur Rev.mus Secretarius an placeat ordo a Relatore propositus, non utique ut ordo Codicis definitivi, sed tantum ut modus procedendi.

Antequam suffragatio fiat, est qui quaerit quid agendum sit de definitionibus status religiosi, monachi, etc.

Rev.mus Secretarius respondet has notiones iam approbatas fuisse, nunc vero tractandum esse aspectum disciplinarem. Timet Consultor qui supra ne normae disciplinaires nimis multiplicantur, sed Rev.mus Relator respondet multa posse tolli de confessariis, de formatione, de novitiatu, etc., non autem de regimine, qua de re normae generales exponenda sunt.

Fit ergo suffragatio, et omnibus placet ordo propositus.

Rev.mus Relator explanat rubricam Tituli I. Proponit ut in titulo, praeter erectionem et suppressionem institutorum religiosorum, introducatur quoque verbum « immutatio », eo quod in titulo etiam de immutationibus in instituto religioso vel in eius partibus agatur.

Quidam Consultor quaerit quid significet « immutatio » Instituti, quod verbum bene intelligitur relate ad provinciam vel domum, non autem quoad Institutum.

Rev.mus Relator respondet dari posse immutationem instituti ipsius, ex. gr. si finis mutetur, uti contingere valet quoad finem redemptionis captivorum (Rev.mus Secretarius idem asseverat relate ad Instituta contemplativa quae nunc tendunt ad vitam activam).

Exstat qui adhibendum in hoc casu censem verbum « innovatio ».

Est Consultor qui censet difficultates oriri posse nisi hoc verbum accurate definiatur, ne deinceps quaestiones exsurgant utrum de mutatione iuridica agatur necne. Clare ergo dicatur quid Codex intelligit per verbum « innovatio », quia agitur de novo instituto iuridico; statuatur quoque quis fines mutare valeat, qui fines innovari possint, etc.

Rev.mus Secretarius manifestat quaestiones de immutatione Institutorum esse reales: oportet igitur ut statuatur quis eas proponere debeat, cui propopendae sint, etc. Cum de mutationibus Constitutionum agatur, et quidem non in re levi, danda est aliqua indicatio in iure communi.

Rev.mus Relator censet verbum « immutatio » varios sensus habere posse: singulis autem in casibus sensus determinatur per verba concreta canonis ubi hoc verbum appetet: ergo nullum est periculum, si etiam hoc in casu sensus huic verbo tribuendus sine ulla ambiguitate statuatur.

Est Consultor qui determinandum esse censet quae mutationes in concreto habeant relevantiam iuridicam et quid agendum sit ad eas mutationes introducendas. Ex. gr. non adest mutatio finis in sensu spirituali vel metaphorico — licet utique adsit in sensu sociologico — si finis redemptionis captivorum nunc applicetur ad redemptionem eorum qui captivi dicendi sunt propter usum substantiae toxicae (ex. gr. morphinae), eo quod iam amplius non adsint captivi saracenorum. (His assentient Secretarius, Relator et alii).

Exsurgit Consultor qui dicit hoc verbum triplicem habere sensum, prout referatur ad Institutum, ad Provinciam vel ad domum. Quaestio non adest relate ad provinciam et domum, ergo problema residet in immutatione ipsius Instituti. Proponit ut titulus sit: « De erectione et suppressione Religionis, provinciae et domus, deque innovationibus eas respicientibus ».

Rev.mus Secretarius obiicit Codicem contemplari etiam immutations, ex. gr. beneficiorum, quo in sensu hoc verbum hic adhibetur: significat enim rem aliquam non esse factam ex novo, sed mutationem induci in rem iam existentem.

Rev.mus Relator dicit verbum « immutatio » sibi placere, quia significat aliquid manere. Adiungit immutationem contingere cum aliquid substituitur aut additur, sed relinquitur quod est essentiale, aliquid simul tollendo, addendo vel substituendo. Tres ergo sunt possibilitates quae forsitan admitti possunt, quia Instituta religiosa aliquatenus pendunt a mutatione adiunctorum externorum. Ergo admittenda videtur iuridica immutatio, deque ea aliquid dicendum est in canonibus.

Unus Consultor distinguendum esse censem inter immutationem religionis et immutationem in religione (nempe in provincia vel domo).

Secundus Consultor suggerit ut duo tituli redigantur: *a) « De erectione, immutatione et suppressione religionis »; b) « De erectione, immutatione et suppressione in religione ».*

Tertius Consultor mavult ut titulus sit unicus, nempe « De erectione et suppressione », deinde vero sufficit ut in aliquo canone dicatur « immutationes tales reguntur iuxta canones ... ».

Quartus Consultor eundem titulum proponit, quem prius suggestit; sin autem, dicit sibi placere titulum propositum a Rev.mo Consultore, de quo immediate supra.

Quintus Consultor animadvertisit immutationem esse conceptum gradualem et variabliem, dum erectio et suppressio sunt actus.

Tertius Consultor qui supra proponit ut dicatur « immutationes quoad fines, quoad structuras regiminis, etc. subsunt regulis statutis in can. ... », vel aliquid simile. Hoc tam est verum, ut in Motu Pr. *Ecclesiae Sanctae immutationes quoad fines non permittantur sine consensu Sanctae Sedis.*

Rev.mus Secretarius censem nihil in Codice dicendum esse circa quaestionem de finibus: exsistimat praeterea distinctionem inter diversos fines (videlicet primarium et secundarium, speciale, etc.) esse prorsus accidentalem.

Manifestat Rev.mus Relator de immutationibus iam agi in canonibus 4 et 5 sueae relationis.

Rev.mus Secretarius censem tamen id non satis iustificare inclusiōnem in verborum titulo « de immutatione religionis », quia immutations fiunt *in religione*. Suggerit ergo ut canon vel paragraphus introducatur, ubi notio « immutationis » clare exponatur et titulus reliquatur uti iam in Codice, quod placet omnibus.

Examen canonis 1

Rev.mus Relator legit atque explanat textum propositum, qui sic sonat: « § 1. Praeter Romanum Pontificem, soli Episcopi dioecesani, Administratores Apostolici permanenter constituti et Vicarii vel Praefecti Apostolici in proprio territorio instituta religiosa iuris dioecesani formali decreto erigere possunt, dummodo prius consulant S. Sedem.

§ 2. Si agatur de tertiaris in communi viventibus requiritur praeterea aggregatio ad primum Ordinem a Supremo Moderatore facienda ».

Consultor adest qui obiectionem movet contra verba « soli Epi-

scopi dioecesani», quippe quae respondeant utique ad terminologiam Decr. *Christus Dominus*, sed in eodem Decreto Episcopi non sunt tantum Episcopi territoriales: adsunt enim alii, ex. gr. Vicarii Castrenses, qui sunt quidem Episcopi dioecesani, sed habent iurisdictionem personalem.

Alius Consultor censet eos Episcopos erigere non posse, quia territorio carent.

Rev.mus Secretarius existimat difficultatem residere in terminologia; legit definitionem dioecesis in Decr. *Christus Dominus*, n. 11, ubi deest elementum territoriale; legit etiam «Principia servanda in recognitione CIC», n. 8. Animadvertis quoque de hac re actum iam esse in alia Commissione, exponitque alias esse Vicarios et alia quoque esse opera ubi deest territorium proprium, ex. gr. «Apostolatus maris».

Unus e Consultoribus in mentem etiam revocat casum dioecesum pro personis diversi ritus, quamquam in ipsis adest criterium mixtum, scilicet personale et simul territoriale.

Quidam Consultor quaestionem proponit utrumne hodiernis in adjunctis expedit ut erectio aliquo modo reservetur Conferentiae Episcopali. Concilium enim vitare desideravit nimiam multiplicationem institutorum, quod non satis praecavetur — praesertim quoad mulierum Congregationes — si singuli Episcopi erectionem facere valeant. Convenientia erigendi aptius ponderatur in sinu Conferentiae Episcopalis. Si hoc autem admittatur, tota paragraphus iterum redigenda erit, ita tamen ut firma semper maneat interventio Sanctae Sedis.

Rev.mus Relator respondet se hanc difficultatem p[re]ae oculis iam habuisse.

Consultor qui supra in hoc concordat, sed oportere existimat ut id non solum commendetur, verum etiam canonice statuatur.

Alius Consultor se demonstrat contrarium reservationi erectionis institutorum religiosorum Conferentiis Episcoporum. Erectio instituti iuris dioecesani munus Episcopi esse videtur, cum effectus erectionis in dioecesi magis sentiuntur.

Rev.mus Secretarius censet hac de re studium perficiendum esse: utrum nempe expedit necne ut facultas erigendi reservatur auctoritati superiori (Conferentiae). Id quidem opportunum esse potest, quia erectione novae religionis momentum habet pro tota natione. Alia vero ex parte p[re]ae oculis habendum est Conferentias Episcopales nunc esse in processu evolutionis ac definitivae constitutionis.

Alius adhuc Consultor sufficere autumat ut Conferentia Episcopalis veniam pro erectione Episcopo concedat.

Secundus Consultor censem praeterea consulendam esse Sanctam Sedem, cum voto Conferentiae Episcopalis.

Tertius Consultor existimat nimis esse requirere consensum totius Conferentiae nationalis pro hoc negotio; satis esse censem ut audiantur Episcopi Regionis Apostolicae, quia omnes Episcopi collegialiter non possunt descendere ad particularia.

Rev.mus Secretarius et alter Consultor sufficere autumant ut pro nunc dicatur solummodo rem hanc pertinere ad competentiam Conferentiae Episcopalis. Deinceps vero res magis in concreto statui poterit.

Est Consultor qui censem canonem ita redigi posse, ut in ipso dicatur erectionem pertinere ad Episcopum, dummodo obtineat veniam Conferentiae Episcopalis. Adiungit praeterea aliam quaestionem: in Codice nihil dicitur de directa creatione alicuius Instituti iuris pontificii. Non respondet quidem ad hodiernam praxim ut aliquod institutum fiat iuris pontificiis quin prius fuerit iuris dioecesani, sed id contingere potest, ergo ponenda videtur aliqua in hoc sensu.

Rev.mus Secretarius, quaestionem perstringere desiderans, manifestat quaestionem in eo residere ut determinetur quem Episcopi consulere debeant ut in suo territorio Congregationes erigant. Videtur imprimis mentionem faciendam esse Conferentiae Episcopalis.

Consultor est qui quaerit tamen utrum agatur de solo beneplacito an ipsa Conferentia erigat.

Respondet Rev.mus Secretarius potestatem Conferentiae Episcopalis adhuc determinandam esse, dicitur enim in Decr. *Christus Dominus*, n. 38, 4: « Decisiones Conferentiae Episcoporum ... vim habeant iuridice obligandi in casibus dumtaxat in quibus aut *ius commune id prescriperit* aut ... ». Ergo potestas quae in hoc casu particulari ei competit pendet a iure communi, nempe a revisione Codicis. Praeterea notandum est decisiones Conferentiarum semper requirere recognitionem Apostolicae Sedis ut vim iuridicam obtineant, ut ibidem dicitur.

Quidam Consultor expedire censem ut Constitutiones, etc. revideantur a Sancta Sede, quia non semper Conferentiae Episcopales personas hac in re competentes habent.

Rev.mus Secretarius et alter Consultor censem totam quaestionem sic perstringi posse: 1) an erigat Episcopus cum *nihil obstat* Sanctae Sedis; 2) an erigat Episcopus cum consensu Conferentiae Episcopalis; 3) an erigat Episcopus cum consensu Conferentiae et cum recognitione Sanctae Sedis.

Consultor qui supra objectionem movet contra verba canonis « Praeter Romanum Pontificem », utpote quae clara non sint.

Respondet Rev.mus Secretarius sensum esse: « Praeter Romanum Pontificem, qui potest in toto orbe terrarum erigere ... », quae tamen verba addita non sunt, quia res per se patet. Potest tamen haec mentio Romani Pontificis sine ulla difficultate expungi (Concordat Rev.mus Relator).

Adhuc idem Consultor animadvertisit in formula canonis nihil dici de Abbatibus nullius et Praelatis.

Rev.mus Secretarius respondet textum canonis intelligendum esse iuxta Decr. *Christus Dominus*, n. 21, ideoque nomine Episcopi dioecesani veniunt quoque illi qui ipsis in iure aequiparantur.

Semper idem Consultor difficultatem considerat exsurgere posse si alicui Episcopo tollatur iurisdictio, sed remaneat nihilominus Episcopus dioecesanus.

Rev.mus Secretarius respondet tamen hanc rem providendam esse in singulis bullis.

Est aliis Consultor qui postulat ut paragraphus strictius redigatur, ita nempe ut Vicarii, etc. non possint erigere (est qui dissentit).

Cum quaestiones aliquae mature perpendendae sint a singulis Consultoribus, interrumpitur examen canonis 1, et transitus fit ad « Principia quae Iuris Religiosorum recognitionem dirigant », noviter elaborata a Rev.mo Relatore, iuxta instructiones Rev.mi Secretarii Commissionis.

Legitur ergo *principium I:*

I. « In recognoscendo iure religiosorum suadendum est animabus, quae viam consiliorum evangelicorum amplectuntur, structuram disciplinarem, quae per canones constituitur, thesauros gratiae vitae religiosae continere non posse et multo minus exhaustire. Sunt nempe canones disciplinares elementum humanum subsidiarium vitae religiosae quo Legislator intendit fovere donum Dei vocationis religiosae, adiuvare gratiae opus in animabus Deo dicatis ut ad perfectionem caritatis pertingant illasque custodire a periculis. "Cum vita religiosa ante omnia ad hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur ... serio perpendendum est optimas accommodationes (legum ac statutorum) ... effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali ... cui semper primae partes tribuendae sunt" (Decr. *Perfectae caritatis*, n. 2 e) ».

Duo Patres Consultores hanc novam redactionem proponunt pro prima parte principii: « In recognitione iuris religiosorum canones ita redigantur, ut appareat normas iuridicas, etsi thesauros gratiae vitae religiosae nec plene contineant nec multo minus exhaustant, fovere tamen donum Dei vocationis religiosae ... ».

Haec emendatio placet Rev.mis quattuor Patribus Consultoribus.

Placet iuxta modum et alio Consultori, cui magis arridebat praecedens redactio. Si nova autem approbetur, postulat ut: *a)* supprimantur verba « plene contineant » (non placet ceteris); *b)* retineantur verba « elementum humanum subsidiarum » (placet Rev.mis Secretario et alio; non placet quattuor Consultoribus — qui dicunt legem esse veluti incarnationem, et non tantum elementum humanum subsidarium: — ergo propositio non admittitur).

Textus ergo remanet uti erat, cum emendatione supra approbata pro prima parte.

Principium II

Legitur principium:

II. « Canones qui disciplinam religiosam recognitam statuunt fovere debent agnitionem in quolibet instituto spiritus Fundatoris eiusque conservationem; familias religiosas adiuvare ad proprium patrimonium servandum quod in propria ac peculiari indole, in propriis propositis et in sana traditione consistit. Libertas adaequata proinde diversis institutis relinquenda est ut sese evolvere possint iuxta propriam indolem et charismata quae a Fundatoribus receperunt et continuo a Spiritu Dei recipiunt. Itaque ius commune religiosorum statuere debet dumtaxat structuram generaliorem quae omnibus institutis faciliter aptari potest quaeque amplam libertatem eis relinquat sese evolvendi iuxta propriam indolem et proprium spiritum per legislationem particularem ».

Est Consultor qui aliud verbum mavult loco « sese evolvere ».

Rev.mus Secretarius proponit: « ad finem suum tendere possint », quod placet ceteris.

Alter Consultor postulat ut expungantur verba: « Libertas ... recipiunt », quippe quae sint repetitio. Placet omnibus, dummodo aliquid dicatur in fine textus.

Est qui pro ultima parte textus, hanc redactionem proponit: « Itaque ius commune religiosorum sancire debet principia generaliora quae omnibus institutis faciliter applicari possint quaeque congruam libertatem eis relinquant ... » (Placet).

Rev.mus Secretarius postulat ut duae postremae lineae expungantur, nempe « sese evolvendi ... particularem », quia sunt repetitio (Placet).

Rev.mus Relator proponit ut, post verbum « relinquant » addatur: « relinquant ut ad finem suum tendere possint iuxta propriam indolem et charismata quae a Fundatoribus receperunt et continuo (continue) a Spiritu Dei recipiunt » (Placet).

Principium III

Legitur hoc principium:

III. « Disciplina religiosa a iure communi recognito stabilenda flexibilis et agilis esse debet ut faciliter adaptari possit diversis conditionibus vitae humanae in tempore et spatio. Impossibile enim est novam recognitionem iuris communis facere decimo vel vigesimo quoque anno. Legislatio generalis proinde praeserfe tantum debet elementa disciplinae veluti stabilia ac perennia et alia magis contingentia relinquere ad ius particulare et ad codices additios cuiusque instituti quae facilius et absque magno apparatu accommodari possunt ad contingentes vitae humanae conditiones et ad novas exigentias ipsorum institutorum et Ecclesiae ».

Est qui postulat ut expungantur verba: « Impossibile ... anno », quae sunt tantum explanatio. Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius censem ius particulare contineri in Constitutionibus, haud vero in codicibus additiciis.

Rev.mus Consultor qui supra, respondet tamen etiam codices additios continere ius, et adducit textum Motu Pr. *Ecclesiae Sanctae*, ubi codices non identificantur cum directoriis.

Idem Consultor adiungit praeterea nunc, in sermone concreto, verba « disciplina religiosa » significare modum sese gerendi. Expedire vero existimat ut in Codice contineantur etiam fundamenta vitae religiosae et substantia eius.

Rev.mus Secretarius his dictis assentit, et distinguendum censem in Codice inter leges constitutivas et normas disciplinares.

Rev.mus Relator, his attentis, sequentem textum proponit: « Normae mere disciplinares a iure communi recognito statuendae flexibiles et agiles esse debent ... » (Hic tamen textus non approbatur, quia, ut dicit quidam e Consultoribus, deest mentio legum constitutivarum).

Rev.mus Secretarius novam redactionem totius principii proponit his verbis: « Dum principia constitutiva vitae religiosae clare indicari et firmiter sanciri debent, in normis disciplinaribus statuendis congrua flexibilitas habeatur, ut eae normae faciliter aptari possint diversis conditionibus vitae humanae » (Haec redactio omnibus placet).

Principium IV

Legitur hoc principium:

IV. « Vita religiosa est, ex natura sua, communitaria et plerumque a sodalibus sub eodem tectu agitur. Haec autem proprietas vitae

religiosae manifestari oportet etiam in regimine communitatis. Canones igitur disciplinaires curare debent ut in religiosis familiis non instituatur quaedam oligarchia qua regimen instituti sit veluti perpetuo in dominio paucorum. Superiores ne sint perpetui, neque ratione muneris neque possibilitate iterum atque iterum munus assumendi. In exercitio regiminis Superioribus tribuenda est sufficiens auctoritas ad actuale gubernium communitatis, sed decisiones, saltem maioris momenti, collegialiter ferri debent. Item membra communitatis participare debent in selectione Superiorum suorum, sive directe sive per repraesentantes a se electos. « Capitula et Consilia ... suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius communitatis participationem et curam exprimant » (Decr. *Perfectae caritatis*, n. 14).

Unus Consultor postulat ut expungantur verba « Vita religiosa ... communitatis », ne anachoretae excludi videantur (Placet omnibus).

Alter vero expedire censemt ut principium indicet: *a)* necessitatem participationis in regimine, quae iam statuta est a Concilio et a M. P. *Ecclesiae Sanctae*; *b)* quomodo haberi possit haec participatio.

Rev.mus Secretarius nimis premendam non censemt necessitatem huius participationis, quia de facto iam omnes sodales participant, non directe, sed per Capitula et Consilia.

Respondet tamen unus e Consultoribus principium repraesentationis necessarium sibi videri, quia Congregationes adsunt quae non habent Capitulum, Provincias, etc., et Concilium voluit servare omnes formas repraesentationis.

Alter Consultor expungendum censemt hoc principium IV, quia de re agit iam a Concilio statuta.

Est qui proponit ut dicatur: « principium hoc a Concilio statutum prae oculis habeatur in statuendis normis practicis de regimine (seu in natura regiminis et in exercendo regimine) ».

Quidam denique postulat ut vitetur verbum « collegialis », et proponit ut eius loco dicatur « cooperatio », quod omnibus placet.

Deinde vero transitus denuo fit ad textum canonum, et hoc principium iterum considerabitur ante finem huius sessionis studii.

Sequitur examen canonis 1.

Rev.mus Relator legit et explanat novam redactionem quam proponit pro can. 1, § 1, quae sic sonat: « (Praeter Romanum Pontificem in Ecclesia universa) Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequi-parati, Spiritus Sancti impulsus dociliter sequentes, in suo quisque

territorio (iurisdictione) instituta religiosa iuris dioecesani formali decreto erigere valent, consentiente tamen respectiva Episcoporum Conferentia et accidente (praehabita) recognitione Sedis Apostolicae ».

Rev.mus Secretarius in mentem revocat obiectionem cuiusdam Patris Consultoris, necessariam nempe non esse mentionem Summi Pontificis. Fit suffragatio et sex membris placet ut haec verba expungantur, unus solummodo mavult ut maneant. Ergo verba expunguntur.

Duo Consultores postulant tamen ut, post expunctionem horum verborum, alio loco dicatur aliquid de ascensione religionis iuris dioecesani ad religionem iuris pontificii, seu de iurisdictione et iure Summi Pontificis ad recipiendas religiones (placet).

Unus e duobus Consultoribus qui supra dicit praeterea Codicem considerare erectionem et condicionem dioecesanam uti factum transiens. Quaestio ergo poni potest circa religionem quae forte fundetur ad serviendum tantum alicui dioecesi vel nationi, etc., et quaerere oportet utrum instituta religiosa iuris dioecesani sint in se perfecta vel constituant tantum stadium quoddam transitorium. Hodie saltem non videtur hoc affirmari posse.

Quidam Consultor affirmat quaestionem esse indolis charismaticaem magis quam iuridicam. Instituta per se nec iuris dioecesani nec iuris pontificii dici possunt sed simpliciter religiosa. Categoria quaestionem non mutat.

Rev.mus Relator assentit supra dictis et insuper asserit erectionem instituti religiosi a competenti auctoritate secumferre notam quamdam universalitatis, eo sensu quod institutum semel erectum ius quoddam habet ad suam naturalem evolutionem et augmentum iuxta charismata ei concessa. Etsi institutum quoddam fundetur pro servitio dioecesis, factum nullo modo implicat eius restrictionem ad territorium in quo fundatum est vel necessariam permanentiam in categoria institutorum iuris dioecesani.

Concordat Rev.mus Secretarius cum alio Consultore, qui dubitat num institutum religiosum fundari possit pro servitio unius dioecesis. Tota tractatio quoad instituta iuris dioecesani appetet valde imperfecta in Codice Iuris Canonici.

Rev.mus quidam Consultor dicit tamen condicionem iuris dioecesani multis in casibus et in praxi non esse provisoriam, quia multa instituta remanent semper iuris dioecesani.

Est alter qui recolit Episcopos adesse qui alicui instituto iuris pontificii possibilitatem proposuerunt aut dioecesim relinquendi aut postulandi reductionem ad condicionem iuris dioecesani, nempe in ser-

vitium Ecclesiae particularis, cum spiritualitate dioecesana. Dicendum ergo existimat: « Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati ... ».

Circa haec tamen verba disceptatio habetur, quia unus e Consultoribus quaerit utrum includatur necne Vicarius generalis: Rev.mus Secretarius negative respondet. Praeterea Rev.mus Consultor timet ne Superior missionis sui iuris in novo Codice Episcopo aequiparetur, et ideo religiones erigere possit: huic tamen animadversioni Rev.mus Secretarius respondet Superiores Missionum sui iuris nec in Codice vigenti Episcopis aequiparantur (non sunt enim neque Ordinarii) nec in Codice novo eis aequiparandi praevidentur. Superior namque missionis sui iuris est figura omnino transitoria quae probabiliter proxime ab Ecclesia evanescet.

Fit ergo suffragatio circa praedictam emendationem, quae ab omnibus approbatur, canon ergo incipere debet his verbis: « Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati ... ».

Verba « Spiritus Sancti impulsus dociliter sequentes » non satis placent aliquibus Consultoribus. Fit tandem suffragatio et approbatur haec expressio, dempto tamen verbo « dociliter ».

Quoad verba « in suo quiske territorio » disputatio quoque habetur: Rev.mus Consultor mavult ut dicatur « in sua quiske dioecesi ».

Rev.mus Secretarius in mentem revocat mentem Commissionis esse ut dioeceses sint ordinarie territoriales, sed in casibus specialibus adesse posse portionem Populi Dei (presbyterium cum fidelibus), quam Summus Pontifex erigat ut iurisdictiones personales sine territorio.

Rev.mus Consultor proponit ut dicatur: « Episcopi dioecesani territoriales ».

Rev.mus Secretarius animadvertisit tamen facultatem erigendi hoc modo non applicari ad Episcopos habentes iurisdictionem personalem.

Consultor quidam in eodem sensu dicit Decretum *Christus Dominus* terminologicē non distinguere inter dioeceses territoriales et personales, quia in ipso datur solummodo visio communitaria dioecesis.

Rev.mus Relator quaerit cur facultas erigendi coarctanda sit ad Episcopos territoriales.

Rev.mus Consultor respondet congruum non esse ut erigat qui non habet territorium.

Rev.mus Secretarius opponit tamen casus in quibus datur iurisdictione cumulativa, ex. gr. in dioecesibus personalibus quae adsunt in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, etc.

Rev.mus Secretarius, quaestionem perstringere desiderans, exponit tres esse possibilitates: *a) « in suo quisque territorio »; b) « in una quisque iurisdictione »; c) « in sua quisque dioecesi ».* Possibilitas sub *a) quinque suffragia obtinet et duo contraria, ergo approbatur.*

Quoad verba « Institututa religiosa iuris dioecesani formali decreto erigere valent »:

Rev.mus Secretarius quaerit an Institututa saecularia hoc in textu prae oculis habeantur.

Rev.mus Relator respondet textum esse generalem, et complecti omnes, inclusis monachis.

Rev.mus Secretarius censem clare explanandum esse — forsitan alio in loco — quid significet verbum erigere.

Rev.mus Consultor postulat ut loco « valent » dicatur « possunt ».

Quoad verba « consentiente autem ... Apostolicae »:

Rev.mus Consultor qui supra novam hanc redactionem proponit: « dummodo praecedat consensus propriae Conferentiae Episcopalis a S. Sede recognitus ».

Alter Consultor quaestionem praeviam solvendam censem, nempe: *a) utrum consensus Conferentiae Episcopalis sit necne ad validitatem;* *b) utrum recognitio Sanctae Sedis sit necne ad validitatem.*

Rev.mus Secretarius duo quasita proponit: 1) Utrum requirendus sit consensus Conferentiae Episcopalis (qui consensus iam intelligitur esse ad validitatem). Placet omnibus, uno excepto qui quaestionem posuit, quique sufficere censem « votum » Conferentiae. 2) Utrum verba « consentiente tamen respectiva Episcoporum Conferentia » admittantur in redactione canonis.

Quoad haec verba sequens habetur disceptatio:

Primus Consultor: loco « respectiva » dicatur « propria » (Placet).

Secundus Consultor: dicatur potius « consensus ... recognitus », aliter enim quid recognoscere potest Sancta Sedes? (Placet).

Tertius Consultor quaerit quid in concreto recognoscendum sit a Sancta Sede. Respondet Rev.mus Secretarius ab ipsa recognoscendum esse decretum a Conferentia datum postquam consenserit petitioni ab Episcopo factae ante erectionem.

Rev.mus quidam Consultor proponit hanc formulam: « dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus a Sede Apostolica recognitus ». Fit suffragatio, et formula placet omnibus.

Exsurgit Consultor proponens difficultatem magni momenti: quid si Conferentia consensum deneget, Episcopus tamen, sub Spiritu Sancti impulsu, censeat erectionem faciendam esse? Respondet Rev.mus Se-

cretarius hoc in casu Episcopum posse recursum exhibere coram tribunali competenti — quod forsitan erit Signatura Apostolica —, quod iudicabit de rationibus sive ab Episcopo sive a Conferentia adductis.

Examen par. 2 canonis 1

Textus propositus sic sonat: « Si agatur de tertiaris in communi viventibus requiritur praeterea aggregatio ad primum Ordinem a Supremo Moderatori facienda ».

Rev.mus Relator animadvertisit aggregationem de qua in paragrapho non raro quid absonum praeseferre. Plures congregations mulierum quae uti congregations « tertiariorum » primo Ordini aggregantur nullam omnino relationem cum eodem retinent nec ullum vestigium spiritus eiusdem exhibent. Causa, saltem partialis, huius facti videtur esse praescriptum can. 500 § 3 quod prohibet non solum quamlibet subiectionem Congregationum mulierum religioni virorum sed etiam religiosarum curam et directionem. Anomalia haec vitanda est in novo iure.

Obstat Consultor qui expungenda censem verba « in communi viventibus », quia si sunt tertiarii sunt etiam religiosi, ergo in communi vivunt. (Rev.mus Relator negative respondet, quia sunt etiam tertiarii saeculares).

Est Consultor qui censem aggregationem de qua in textu proposito agitur esse figuram curiosam, quia aggregari nequit ens iuridicum nondum existens, utpote quod nondum Episcopus exeredit. Praeterea vitandam existimat possibilitatem ut Superior religiosus obligetur ad aggregationem faciendam, si censeat ex. gr. tales tertiarios non habere spiritum Ordinis, etc.

Omnis concordant circa necessitatem emendandi textum propositum, quapropter novus textus apparabitur a Consultore qui supra suam protulit sententiam.

Idem Consultor animadvertisit etiam nomen « tertarius » non amplius placere.

Semper idem Consultor hunc novum textum proponit: « § 2. Si agatur de instituto religioso tertiariorum eriendo requiritur praeterea consensus Supremi Moderatoris primi Ordinis, per legitimam aggregationem expressus ».

Adhuc idem Consultor explanat quaedam verba, nempe: « consensus »: sic exprimitur condicio ad validitatem; « per legitimam aggregationem expressus »: ut bene dicatur quomodo aggregatio fiat.

Praeterea in hoc textu non adhibentur verba « tertiarii in com-

muni viventes » (CIC, can. 492), quia hodie haec terminologia non correspondet realitati.

Rev.mus Secretarius animadvertisit conceptus hos revidendos esse a Coetu Consultorum qui agit de fidelium Associationibus.

Iuxta quemdam Consultorem duo momenta sunt distinguenda: *a)* erectionem vel constitutionem; *b)* aggregationem. Attamen animadvertisit quidam ante aggregationem supponi institutum iam existere. Praeterea Rev.mus Secretarius adiungit Episcopum, in confiendo processiculo pro erectione, consulere debere primum Ordinem. Rev.mus idem qui supra explanat quoque verbum « legitime », in formula a se proposita, significare institutum prius erectum esse quam aggregatio concedatur. Attamen est qui mavult ut expungantur verba « per legitimam aggregationem expressus » et addatur verbum « praevius » ante verbum « consensus ». Hoc ultimum placet omnibus, quia sic clarius patet consensum dandum esse ante erectionem. Textus igitur sic remanet: « Si agatur de instituto religioso tertiariorum erigendo, requiritur praeterea praevius consensus Supremi Moderatoris primi Ordinis ad eiusdem legitimam aggregationem ».

Examen par. 3 can. 1

Rev.mus Relator, attentis quae ex discussione hucusque facta resul tarunt necnon quae in Decreto *Perfectae caritatis* n. 22 statuuntur, suam observationem in Relatione introductoria in mentem revocat. Oportet, ut vitetur erectio institutorum quae vix alio modo distingui possunt quam nomine et habitu. Quapropter proponit ut par. 3 primo canoni addatur, prout sequitur: « § 3. Erectio prohibetur institutorum quae, cum alio in territorio eidem Conferentiae Episcoporum subiecto formaliter iam erecto, fere pares constitutiones haberent et usus, eodem que animarentur spiritu ac iisdem vel similibus operibus externis in cumberent ».

Rev.mus Consultor superfluam existimat hanc paragraphum, quia iam adest par. 1, ubi dicitur « dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus »: ergo ipsi Episcopi iam habent prae oculis id quod exprimitur in par. 3 (Attamen Rev.mus Secretarius et Relator censem hanc paragraphum non esse superfluam).

Est Consultor qui approbat conceptum, sed dubitat de efficacitate huius paragraphi, quia saepe Fundatores et Fundatrices negant identitatem cum aliis institutis. Mavult ergo ut paragraphus alio modo exprimatur.

Primus Consultor dicit sibi non placere verbum « prohibetur » quod nimis restrictivum est: si prohibetur, erectio erit invalida. Proponit ergo formulam « cavendum est ». (Assentit unus e Consultoribus, qui suggerit « cavendum omnino est »).

Secundus Consultor animadvertisit negotium erectionis facile esse pro Conferentia Episcopali parvae nationis, difficile autem si natio sit magna aut multi sint Episcopi. Respondet Rev.mus Secretarius hoc in casu ab ipsa Conferentia determinandum esse qui Episcopi prae ceteris sint audiendi, vel qui in studium huius negotii incumbere debeant. etc.

Tertius Consultor novam formulam proponit pro tota paragrapho: « In suo eliendo iudicio circa erectionem novorum institutorum religiosorum Conferentiae Episcoporum current ne multiplicentur instituta quae fere pares constitutiones habeant et usus, eodemque animentur spiritu ac iisdem vel similibus operibus externis incumbant ».

Circa hunc textum sequentes proponuntur animadversiones:

Quartus Consultor loco « current » dicatur « caveant » (Placet).

Quintus Consultor loco verborum « instituta quae fere ... incumbant » dicatur: « instituta quae fere eadem habeant naturam, fines et indolem ac iisdem vel similibus operibus externis incumbant » (Placet).

Fit ergo suffragatio circa totam paragraphum, quae omnibus placet, uno excepto, qui mavult ut servetur verbum « current », loco « caveant ».

Canon 2

Ligatur textus canonis 2:

« Institutum religiosum in provincias dividere, novas erigere, iam erectas coniungere vel aliter circumscribere ad Capitulum generale instituti unice spectat ».

Rev.mus Relator textum propositum exponit et asserit se voluisse immutationem non levem in can. 494 par. 1 introducere, quia — uti opinatur — de negotio agitur quod ad internum regimen institutorum religiosorum spectat. Non est igitur quare Sedi Apostolicae reservari debeat. Sed cum agatur de re magni momenti eam reservat supremae auctoritati in instituto religioso, nempe Capitulo generali.

Unus Consultor dicit hunc textum sibi placere, quia id iam facere poterat Societas Iesu, quae per Capitulum generale divisiones, erectiones, etc. peragere valet. Respondet tamen Rev.mus Secretarius hoc esse ius privilegiatum, quia aliis in casibus, iuxta vigentem disciplinam, haec omnia pertinent ad Sanctam Sedem.

Alter Consultor dicit congruum sibi videri ut divisio etc. pertineant ad Capitulum generale, non autem ad Capitulum provinciale, quia melius est ut haec negotia reserventur ad auctoritatem superiorem, ad pericula vitanda.

Sunt duo Consultores qui extendere volunt potestatem erigendi novas provincias, iam erectas coniungere vel aliter circumscribere etiam Consilio generali institutorum eo quod Capitulum generale nonnisi raro convocetur et quandoque necessarium est non expectare convocationem Capituli.

Rev.mus Secretarius cum alio Consultore respondent rem melius reservari supremae auctoritati ob momentum quod habet pro universo instituto religioso. Nihil tamen impedit, ubi necessitas urgeat, quominus Supremus Moderator cum suo Consilio erigat vicariam vel vice-provinciam, etc.

Quaedam concretae emendationes proponuntur, nempe:

Unus e Consultoribus: loco verbi « unica » dicatur « per se » vel « ordinarie ».

Alter Consultor: addatur in fine: « nisi aliud in Constitutionibus statuatur ».

Tertius Consultor: pro monachis hic canon non valet. (Respondet tamen Rev.mus Secretarius canonem applicari utique posse si agatur de Congregatione monastica hierarchica; pro aliis autem Congregacionibus non datur locus, quia provincias non habent).

Quartus Consultor: Capitulum potest delegare, ideo expungatur verbum « unice ».

Fit suffragatio, cuius exitus hic est:

- servetur canon uti est: 3
- servetur uti est, sed dempto verbo « unice »: 3
- non placet textus: 1.

Fit nova suffragatio circa expunctionem verbi « unice », quae omnibus placet. Ideo textus approbatur, dempto verbo « unice ».

Canon 3

Legitur textus:

« § 1. Domus religiosa, sive formata sive non formata, erigenda est ab auctoritate competenti instituti religiosi iuxta normas in constitutionibus statutas, dummodo consensus Ordinarii loci in scriptis datus iam obtentus fuerit.

§ 2. Nulla religiosa domus erigatur, nisi Superiores ad quos pertinet prudenter iudicare possint ex propriis redditibus vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri. In tuto quoque ponantur quae ad vitam religiosam et, si casus ferat, apostolicam rite agendam requisita sunt iuxta proprium instituti finem et spiritum.

§ 3. Praeter consensum Ordinarii loci de quo in par. 1, requiritur consensus Ordinarii loci qui institutum religiosum formaliter exerat, si agatur de prima domo religiosa instituti iuris dioecesani erigenda in huius territorio ».

Rev.mus Relator illustrat mutationes hic inductas in can. 497 par. 1. In Codice vigenti nihil dicitur de auctoritate competenti ad erigendam domum religiosam iuris pontificii non exemptam et domum religiosam iuris dioecesani. Vitande sunt nimiae determinationes quae in citata paragrapho inveniuntur in textu Codicis. Ratio cogens non appareat cur erectio domus exemptae reservari debeat S. Sedi. Quaestio maxime simplificatur si in quolibet casu res relinquetur determinanda iisdem institutis religiosis per proprium ius particulare. Cum autem domus religiosae erectio intersit non parum Ordinarii loci, eius consensus semper exigitur. In secunda paragrapho Relator vult in tuto ponere finem proprium instituti religiosi et vitam religiosam in nova domo agendam iuxta spiritum proprium instituti. In tertia paragrapho consensus Ordinarii loci domus principis de quo can. 495 par. 1 commutatur pro illo Ordinarii loci qui institutum exerat, cum hic presumatur maiorem curam habere illius instituti religiosi.

Circa § 1

Est quidam Consultor qui obiectionem movet contra ultima verba (« dummodo ... fuerit »). In praxi enim consensus petitur quando iam omnia parata sunt, praesertim si de mulieribus agatur. Ideo consensus in scriptis fere reducitur ad fictionem iuridicam. Iudicium de opportunitate erectionis ferri debet ab Ordinario cum suis consiliariis.

Alter Consultor: haec clausula placet, sed addendum censem « dum res adhuc integra est », ob rationes allatas a priore Consultore.

Adest Consultor qui expungenda censem verba « sive formata sive non formata »; praeterea mavult ut vitetur verbum « erigenda », quia res ex eo pendet utrum domus religiosa consideretur persona

moralis necne. Forsitan hic est locus aptus ad distinguendum inter domos et quasi-domos.

(Hic interrumpitur adunatio, quae sequetur crastina die).

Huic adunationi diei 25 adest Em.mus Praeses, cui Rev.mus Secretarius de peractis refert.

Rev.mus Relator legit textum canonis 1, §§ 1, 2 et 3 necnon canonis 2, et breviter exponit laborem iam factum. Quaerit Em.mus Praeses an necessaria sint verba « Spiritus Sancti impulsus sequentes ». Respondet Rev.mus Secretarius disceptationem de hac re factam esse, sed fundationem instituti religiosi re vera esse actum charismaticum. Em.mus Praeses dicit se mutare non velle quod iam approbatum fuit.

Sequitur ergo disceptatio circa canonem 3 par. 1

Rev.mus Relator dicit redactionem propositam magnas innovaciones, simplicitatis et unicitatis causa, secum ferre relate ad vigentem CIC.

Relate ad domos non formatas, Rev.mus Relator in mentem revocat casum sororum (quandoque 2 vel 3) quae sunt in nosocomiis, vel in servitium Episcoporum, etc. Pro domo autem formata requiritur ut adsint quinque saltem religiosae votorum perpetuorum.

Est Consultor qui proponit ut dicatur « quasi-domus », quia domus debet esse persona moralis. Consensus Episcopi utroque in casu haberi debet, sive ad erigendam sive ad extinguendam domum, sed pro quasi-domibus hic consensus modo simpliciori obtineatur.

Alter Consultor quaerit an istae quasi-domus habeant Superioris sam et an in casu serventur normae quae pro regimine locali in iure statuuntur. Censet Rev.mus Pater ex hoc systemate incommoda multa sequi posse, et tales domos nullo modo esse multiplicandas. Bene servanda est dependentia tum ab Episcopo tum a proprio superiore interno.

Rev.mus Consultor manifestat in India quandoque duas religiosas vivere solas in locis valde distantibus a loco ubi earum superiorissa degit. Accedit ergo ad petitionem alter Consultor, ac praeterea in mente revocat quae ineunte sessione de missionibus dixit.

Tertius Consultor assentit convenientiae admittendi quasi-domos, dummodo earum regimen accurate determinetur. (Concordat etiam unus e Consultoribus, dummodo clare dicatur quae sit condicio iuridicalium domorum, necnon personarum quae in ipsis degunt).

Idem Consultor ac supra adiungit vitam communem esse elementum substantiale: admitti ergo possunt diversae species domorum, sed bene determinetur status iuridicus uniuscuiusque. Censet praeterea sibi videri

quaestionem in hac adunatione statuendam in eo consistere utrum pro erectione cuiuslibet speciei domorum Ordinarii consensus requiratur necne: si hac in quaestione Consultores concordent, alia cetera relinqui possunt ut in Constitutionibus determinentur.

Rev.mus Secretarius difficultatem admovet contra verba « domus religiosa ... erigenda est »: si enim talis domus non habebit personalitatem iuridicam, quomodo erigitur? (Respondet Consultor qui supra etiam domum non formatam personalitatem iuridicam habere posse, uti ex ipso Codice eruitur, nam erigi potest domus non formata cfr. can. 497 § 1; cfr. etiam can. 498 § 1 quoad suppressionem).

Em.mus Praeses dicit se concordare cum Consultore qui supra, eo in sensu ut in canone dicatur consensum Episcopi semper requiri, cetera vero relinquuntur pro Constitutionibus.

Rev.mus Secretarius formulam proponit: « Ad domum ... erigendam vel approbandam » (Rev.mus Consultor mavult ut dicatur: « Ad domum ... erigendam vel constituendam »).

Em.mus Praeses suffragationem proponit circa formulam: « Domus ... erigenda aut constituenda est ... », quae placet omnibus.

Circa verba « ab auctoritate competenti ... statutas »:

Est Consultor qui postulat ut expungantur verba « instituti religiosi », quia in religionibus iuris dioecesani auctoritas competens non est Superior internus, sed Episcopus. (Placet omnibus).

Circa verba « dummodo ... fuerit »:

Consultor est qui addenda censet verba: « ... dummodo *praevie et re adhuc integra* consensus ... ». Alter vero expungendum existimat verbum « *praevie* », quia non videtur necessarium. Fit suffragatio et approbatur formula proposita a priore Consultore, dempto tamen verbo *praevie*.

Quoad § 2

Est qui quaestionem proponit quoad religiosos stipem quaeritantes per vias. Respondet Rev.mus Relator cum socio Consultore Episcopum id prohibere posse, deque hac re clare agi in M. P. *Ecclesiae Sanctae*.

Adest alter qui existimat multas quaestiones in paragrapho contentas nostris diebus inutiles esse, quia mutatae sunt conditiones sociales et sociologicae. Congruum non videtur dicere nullam domum constitui posse nisi prius quaestio oeconomica soluta fuerit. Proponit ergo hanc redactionem: « § 2. Nulla religiosa domus erigatur aut consti-

tuatur nisi attenta eiusdem utilitate in Ecclesia locali et semper in tuto positis quae ad vitam religiosam rite agendam iuxta proprios instituti fines et spiritum requiruntur ».

Primus Consultor animadvertisit domos formationis non constitui ad Ecclesiae localis utilitatem, ergo expungendum censem verbum « locali », quod placet omnibus, uno excepto.

Secundus Consultor suggestit redactionem magis positivam, videlicet: « Quaevis religiosa domus erigatur aut constituatur attenta eiusdem utilitate in Ecclesia sive universalis sive locali ... » (Tertius Consultor obiectionem movet contra verba « sine universalis sive particulari », quia Ecclesia universalis et particularis inter se non opponuntur: hoc placet omnibus, et haec verba expunguntur). Suffragatio fit circa propositionem secundi Consultoris, quae placet omnibus, demptis autem verbis de quibus supra.

Rev.mus Secretarius quasdam proponit mutationes in redactione paragraphi, nempe: « Quaevis religiosa domus erigatur aut constituatur p[ro]ae oculis habita eiusdem utilitate in Ecclesia et semper in tuto ponantur quae ad vitam ... requiruntur » (Placet omnibus).

Circa § 3

Est qui proponit: deleatur haec paragraphus, quia in iure non profunde mutatur figura instituti iuris dioecesani. Conferentia Episcopalis, in actu erectionis, iam aliquo modo manus apposuit in vita et necessitatibus instituti.

Alter e contra: haec paragraphus utilis esse potest, ne instituta iuris dioecesani nimia festinatione in plures dioeceses dispergantur.

Subsumit prior Consultor: sed ad hoc sufficit § 1, quia Superior talis instituti iuris dioecesani est Episcopus, qui quidem consensum dare debet.

Rev.mus Secretarius: Conferentia Episcopalis suum consensum explicitum dedit quoad erectionem tantum, haud vero ut hic vel illic institutum domum constituat.

Unus ex Consultoribus: sed Conferentia iam p[ro]ae oculis habere debuit possibilitatem extensionis. Forsitan si fundatio fiat extra territorium Conferentiae Episcopalis erectionem approbantis, postulari poterit consensus Ordinarii domus principis.

Consultores hac in re non concordant, et Rev.mus Relator haec exponit: *a)* cum Conferentia Episcopalis approbationem dat pro erectione, abs dubio iam providet extensionem; *b)* si religio sufficientem

progressionem obtinuerit, non est cur ei extensio impediatur vel difficultates apponantur. (Rev.mus Consultor: sed contingere potest quod aliqua Congregatio paucas habeat vocaciones in aliqua dioecesi, et alias fundationes facere velit ad capiendas alibi vocaciones, quod vertere potest in detrimentum dioecesis. His tamen respondet Rev.mus Relator Congregationes iuris dioecesani non habere tantam libertatem agendi et ceterum non appetet motivum ob quod Superiores ita fovere non possint vocaciones, si Episcopus assentit).

Rev.mus Secretarius dubitat praeterea de iure Ordinarii domus principis sese opponendi voluntati Superioris religiosi, si hic necessarium existimet sedem mutare vel domos novas creare. Censem etiam fiduciam concedendam esse consensui praestito a Conferentia Episcopali: si enim Conferentia iam iudicavit de opportunitate fundationis, cur tot obstacula ad eius extensionem?

Consultor qui supra his dictis assentit. Distinguit etiam regimen inter et tutelam, et necessariam non existimat tutelam tam strictam. Episcopi quidem iura habent, sed Superior etiam ius habet ut sibi agnoscatur capacitas iudicandi quando et quomodo institutum extendi debeat.

Est Consultor qui postulat ut necessarius sit solummodo consensus Ordinarii ubi domus constituenda sit.

Rebus sic stantibus, Rev.mus proponit ut paragraphus deleatur, quia: *a)* quaestio est nimis implicata; *b)* cum erectione agnoscitur existentia alicuius charismatis, quod potest et debet crescere.

Fit suffragatio, et quinque Consultores stant pro expunctione paragraphi, duo vero desiderant ut servetur. Ergo paragraphus deletur.

Examinatur nunc § 1 bis canonis 3, ab uno Consultorum proposita.

Textus propositus sic sonat: « § 1 bis. Constitui quoque possunt coetus religiosorum ad normam constitutionum constituendi, de consensu Ordinarii loci et sub eius speciali vigilantia ».

Est qui quaerit qui sint isti coetus. Hactenus enim actum est de domibus, cur nunc de personis? De hac videtur alibi esse agendum. Praeterea nihil dicitur in textu proposito de conditione istorum religiosorum relate ad institutum (quid faciunt relate ad vitam canoniam, ad votum paupertatis, etc.: quae omnia remitti nequeunt ad Constitutiones).

Rev.mus Relator obiicit tamen domum in iure non significare aedificium, sed personarum coetum. Nihil obstare videtur quominus hi coetus constituantur, si quidem id permittatur a Constitutionibus.

Quidam animadvertisit: si admittitur notio domus non formatae, haec paragraphus est superflua.

Alter Consultor adiungit praeterea possibilitatem concedi in M. P. *Cum admotae* ut aliqui religiosi dispensationem obtineant ad vitam extra domum agendam, etiam ultra annum; semper autem tales religiosi vivunt in relatione ad aliquam domum.

Fit suffragatio, et paragraphus non admittitur.

Canon 4

Legitur canon:

« § 1. Institutum religiosum remanet dioecesanum, ad normam iuris Ordinario loci subiectum, donec a Sede Apostolica inter instituta iuris pontificii per speciale decretum fuerit adnumeratum. Quod si in plures dioeceses decursu temporis diffusum fuerit, nihil de legibus instituti iuris dioecesani mutari liceat nisi consentientibus omnibus Ordinariis locorum in quorum territoriis unam saltem domum institutum erexerat.

« § 2. Nec nomen nec habitum institutum mutare valet absque S. Sedis licentia ».

Rev.mus Relator dicit hunc canonem, qui correspondet §§ 2-3 can. 492 et § 2 can. 495 Codicis vigentis, continere quasdam oportunas clarifications. Imprimis, expungitur vox « plane » subiecta iurisdictioni Ordinarii loci, quae non correspondet statui iuridico Congregationis seu instituti iuris dioecesani. Ponitur decretum speciale loco « pontificiae approbationis aut laudis testimonio » propter discussionem habitam et decisionem latam in praecedenti Sessione huius Coetus Studiorum (cfr. Acta sessionis II).

Quidam censemt ordine idearum esse complicatum. Praeterea fines, natura, spiritualitas, etc. sunt res substantiales quae mutari nequeunt: ideo in eodem canone permiscendae non sunt mutationes substantiales et immutationes iuridicae. Ergo paragraphus 1 fiat canon independens et paragraphus 2 sit paragraphus 1 alterius canonis.

Est qui expedire autumat ut prius veniat § 1 canonis 5, quod placet maioritati Consultorum.

Ideo § 1 can. 5 nunc fit canon 4.

Legitur ergo novus canon 4:

« Consensus Ordinarii loci erigendi novam domum religiosam secum fert: imprimis facultatem vitam religiosam ducendi secundum propriam

indolem, finem specificum et media peculiaaria instituti ad quod domus pertinet; item opera pia et apostolica instituto propria exercendi sub potestate superiorum et auctoritate Ordinarii loci ad normam iuris, salvis conditionibus in consensu praebendo appositis et acceptatis. Praeterea, instituta clericalia facultatem accipiunt habendi ecclesiam vel oratorium publicum domui adnexum, salvo praescripto can. 1162 § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis ».

Alter Consultor animadvertisit: verba « salvis ... acceptatis » referuntur tantum ad « opera pia et apostolica », ergo textus dividatur in duas paragraphos, claritatis causa (Placet).

Est aliis Consultor qui duas emendationes proponit: *a)* dicatur « ad erigendam » loco « erigendi » (Placet); *b)* dicatur « opera propria » loco « opera pia » (Ad vitandam repetitionem verbi *propria*, a Coetu approbatur ut, iuxta M. P. *Ecclesiae Sanctae*, textus sic currat: « opera instituto propria exercendi »).

Quidam Consultor postulat expunctionem verbi « novam » (Placet).

Rev.mus Relator: si textus dividendus est in duas paragraphos, deleatur verbum « imprimis » (post « secumfert »), et ponantur numeri, nempe: 1º ... 2º ... (Placet).

Quidam observat: loco « finem » dicatur « fines » (Placet). Praeterea expungantur verba « ad quod domus pertinet », quia sunt superflua (Placet). Item, eadem de causa, expungantur verba « sub potestate ... loci » (Placet).

Alter Consultor: dicatur « praestito », loco « praebendo », quia re vera iam praestitus est (Placet).

Adhuc alter: textus melius curret si dicatur: « § 1. Consensus Ordinarii loci ad erigendam domum religiosam secumfert facultatem: 1º vitam ... 2º item opera ... » (Placet).

Canon 5

Rev.mus Relator proponit hunc textum: « Immutationes institutorum religiosorum quae eorum naturam vel fines speciales attingunt absque beneplacito apostolico fieri nequeunt ».

Est qui quaerit utrum beneplacitum apostolicum requiratur necne si parvae mutationes facienda sint in instituto iuris diocesani.

Alter vero difficultatem admovet quoad verba « eorum naturam », quia difficile est determinare in quo consistat natura alicuius instituti. Praeterea, ad dubia vitanda, expedire censem ut dicatur « finem », loco « fines ».

Rev.mus Secretarius quaestionem proponit utrum textus ita generalis esse debeat, ut complectatur quamlibet mutationem, an complecti debeat solummodo mutationes substantiales.

Est qui novum textum proponit, qui sic sonat: « Immutationes Institutorum Religiosorum quae inducenda sint atque ea afficiant quae Sanctae Sedi subiecta sunt pro erectione Instituti fieri nequeunt sine beneplacito apostolico ».

Quoad hanc formulam sequentes fiunt animadversiones:

Rev.mus Secretarius censet sub his verbis etiam Constitutiones intelligi, quia requiruntur pro instituti erectione. Secundum ius vigens verum est Constitutiones mutari non posse sine venia Sanctae Sedis, sed forte expedit ut posthac facultas Capitulo relinquatur modificandi saltem id quod non est substantiale, quod quidem ex privilegio iam nunc fit in aliquibus institutis, ex. gr. in Ordine Carmelitanorum, in Ordine Praedicatorum, in Societate Iesu, etc.

Unus e Consultoribus adiungit M. P. *Ecclesiae Sanctae* facultatem concedere Capitulo extraordinario ut accommodationes faciat ad Concilii praescripta, licet hoc sit ad experimentum.

Secundus Consultor addendum censet verbum *substantialia*.

Tertius Consultor emendationem formulae proponit, scilicet: « Immutationes in institutis religiosis (loco « institutorum ») ea affientes quae Sedi Apostolicae subiecta fuerunt fieri nequeunt sine eiusdem beneplacito ».

Rev.mus Secretarius duo haec perpendenda censet: *a)* utrum sub his verbis quaestiones de habitu ac de nomine implicite contineantur necne; *b)* utrum harum quaestionum explicita mentio sic facienda necne.

Quidam aliam quaestionem considerandam existimat, videlicet num necessarium sit ut duae hae quaestiones reserventur ad S. Sedem.

Rev.mus Secretarius respondet hodiernis in adjunctis ansam dari posse anarchiae, nisi clarae instructiones dentur. Quidam Consultor adiungit heic agi de rebus in quibus S. Sedes manus iam apposuit, ergo mutari nequeunt sine beneplacito apostolico. In eodem sensu Rev.mus Secretarius adiungit idem contingere in Iure civili: si aliqua societas inscribitur sub aliquo nomine — ex. gr. ut societas anonyma — nomen mutare nequit sine decreto auctoritatis.

Fit ergo suffragatio, et approbatur formula proposita a Rev.mo Consultore. Pro nunc praeterea cadit paragraphus 2 canonis 4 propositi in Relatione Rev.mi Relatoris.

Canon 5, § 2 Relationis.

Textus sic sonat: « Ut constituta domus in alios usus convertatur, praeter conditiones forte a constitutionibus instituti statutas, requiritur et sufficit consensus Ordinarii loci in scriptis datus, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam dumtaxat referatur ».

Rev.mus Relator explanat formulam propositam eandem esse quam quae nunc adest in can. 497 § 4, additis solummodo verbis « praeter ... statutas ».

Quidam quaerit quid sit intelligendum nomine « aliorum usuum ». Afferit enim id difficile statui posse in praxi, manifestatque praeterea verbum « alios » in can. 497 § 4 clarum esse quia sese refert ad usus de quibus in § 3 eiusdem canonis, non autem bene intelligi in redactione nunc proposita. Suggerit ergo hanc formulam: « Ut domus religiosa ad opera apostolica diversa ab illis pro quibus constituta est destinetur requiritur consensus Ordinarii loci, nisi agatur ... (cetera ut in Relatione) ... referatur ». Haec formula approbatur ab omnibus.

Agitur nunc de canone 4, § 1 Relationis.

Textus propositus hic est:

« § 1. Institutum religiosum remanet dioecesanum, ad normam iuris Ordinario loci subiectum, donec a Sede Apostolica inter instituta iuris pontificii per speciale decretum fuerit adnumeratum. Quod si in plures dioeceses decursu temporis diffusum fuerit, nihil de legibus instituti iuris dioecesani mutari liceat nisi consentientibus omnibus Ordinariis locorum in quorum territoriis unam saltem domum institutum erexerat ».

Post lectum canonem, Rev.mus Secretarius difficultatem admovet circa verba « donec a Sede Apostolica », in mentem revocans disputationem iam habitam circa necessitatem ut omnia instituta iuris dioecesani tendere debeant ad obtinendam approbationem qua institutiones iuris pontificii.

Rev.mus Relator asserit divisionem institutorum religiosorum in instituta iuris dioecesani et iuris pontificii non tangere naturam institutorum, ut iam antea notaverat, sed indicare conditionem iuridicam externam eorum. Indirecte, saltem in iure vigenti, positio instituti iuris dioecesani potest sumi tamquam indicium insufficientis evolutionis et diffusionis.

Est qui videt difficultatem in eo quod aliquod institutum eo consilio constituatur ut dioecesanum semper remaneat; per se enim insti-

tuta non sunt dioecesana et debent esse universalia. Praeterea, redactio proposita suggerere videtur regulam fore ut instituta sint iuris dioecesani « nisi » — en exceptio — fiant iuris pontificii.

Duo Consultores in genere concordant, at primus animadvertisit tamen actum erectionis esse recognitionem charismatis, ideoque futuras consequentias iuridicas pendere a natura huius charismatis.

Est qui quaerit cur non omnia instituta esse debeant dioecesana locisque Ordinario subiecta.

Rev.mus Relator respondet hoc in casu vitam fore difficilem pro iis quae excent apostolatum ambitus universalis.

Adest alter qui existimat has esse quaestiones ad ius non pertinentes, qua de causa vitandas esse censem expressiones quae in unam alteramve sententiam inclinare possint.

Quaedam proponuntur formulae huius canonis, iuxta supra discep-tata, sed recolitur definitionem instituti iuris pontificii approbatam iam esse in praecedenti adunatione, et ideo supprimitur prima pars huius canonis, nempe « Institutum ... adnumeratum ».

Quoad verba « Quod si in plures ... erexerat ».

Rev.mus Relator dicit tamen consensum omnium Ordinariorum nimias secumferre implicationes, quapropter proponit ut consensus limitetur ad Ordinarium loci ubi est domus princeps, auditis aliis Ordinariis: sic etiam facilius haberi potest recursus, si quando id necessarium appareat.

Quidam Consultor: si institutum erigitur et acceptatur, acceptatur quidem in Ecclesia, quicumque sit locus ubi ipsum natum sit. Quaestio autem est de tutela, cuius forma determinanda est. Instituta enim pendent ab Episcopo, non autem qua Superiore religioso interno, sed qua superiore ecclesiastico. Religiosi votum nuncupant oboedientiae ad superiores internos, non autem ad Episcopum. Quandoque Episcopi mutare volunt habitum, regimen internum, etc., at vero praetermittendum non est religiosos sese Deo consecrasse iuxta quasdam Constitutiones, cautelas et formam, quae quidem mutari nequeunt quin ipso facto nullus reddatur contractus initus a religioso cum proprio instituto vi professionis. Hac in re quidam abusus contingunt.

Rev.mus Secretarius Commissionis proponit ut separentur canones ubi organice et exclusive agitur de institutis iuris dioecesani quoad regimen, etc., utque de hac re in proxima sessione agatur.

Propositio haec approbatur, ergo hic canon pro nunc cadit.

Antequam transitus fiat ad alium canonem, est qui animadvertisit textum in hac sessione approbatum circa domum religiosam non con-

cordare cum iis quae statuta sunt in praecedenti sessione (cfr. Relatio 2^{ae} sessionis). Rev.mus Secretarius respondet ibi agi tantum de domo formata, censemque autem totam quaestionem denuo examinari posse cum conspectus canonum generalis habeatur.

Perpenduntur nunc iterum principia generalia a Rev.mo Relatore proposita cum emendationibus in discussione antea approbatis.

Legitur principium I: placet.

Principium II: placet.

Principium III: Unus e Consultoribus proponit ut dicatur « in tuto ponatur », loco « tueatur » (Placet cum hac animadversione).

Principium IV: Idem Consultor qui supra postulat ut dicatur « per nimium tempus », loco « per tempus protractum »; Alter Consultor suggerit pariter « ne maneat », loco « non maneat ». Approbatur textus cum his duabus emendationibus.

Principia igitur generalia, quae recognitionem iuris religiosorum dirigant, approbantur prout iacent in sequenti textu:

I. In recognitione iuris religiosorum, canones ita redigantur ut appareat normas iuridicas, etsi thesauros gratiae vitae religiosae nec plene contineant nec multo minus exhaustant, fovere tamen donum Dei vocationis religiosae, adiuvare gratiae opus in animabus Deo dicatis ut ad perfectionem caritatis pertingant easque custodire a periculis. « Cum vita religiosa ante omnia ad hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur ... serio perpendendum est optimas accommodationes (legum ac statutorum) ... effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali ..., cui semper primae partes tribuendae sunt (*Decr. Perfectae Caritatis*, n. 2 e).

II. Canones qui disciplinam religiosam statuunt fovere debent agnitionem in quolibet instituto spiritus Fundatoris eiusque conservationem; familias religiosas adiuvare ad proprium patrimonium servandum, quod in propria ac peculiari indole, in propriis propositis et in sanis traditionibus consistit. Itaque, ius commune sancire debet dumtaxat principia generaliora quae omnibus institutis faciliter applicari possunt quaeque congruam libertatem eis relinquant ut ad finem suum tendere possint.

III. Dum principia constitutiva vitae religiosae clare indicari ac firmiter sanciri debent, in normis disciplinaribus statuendis congrua flexibilitas in tuto ponatur, ut eae normae faciliter aptari possint diversis conditionibus et exigentiis Ecclesiae et ipsorum institutorum.

IV. Canones, quibus regimen et regiminis exercitium in religiosis institutis ordinantur, ita redigantur ut principia a Concilio statuta de repraesentatione et cooperatione sodalium efficaciter ad praxim deducantur. Indole ac spiritu cuiusque instituti servata, regimen ita ordinetur ut potestas per nimium tempus apud easdem personas ne maneat. « Capitula et consilia munus sibi commissum in regimine explendo atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius communitatis participationem et curam exprimant » (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 14). Superiores eo sodales perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur necnon conspirationem ad bonum instituti et Ecclesiae promoveant.

Canon 6

Textus sic sonat.

§ 1. Suppressio cuiuslibet instituti religiosi legitime erecti ad unam Sedem Apostolicam spectat, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate.

§ 2. Provincias supprimere ad Capitulum generale instituti religiosi pertinet secundum praescripta in constitutionibus statuta. Ei quoque reservatur de bonis provinciae suppressae statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate.

§ 3. Domus religiosa supprimi potest a Supremo Moderatore instituti iuxta determinationes a constitutionibus statutas, consentiente tamen Ordinario loci salvoque iure recursus in suspensivo ad Sedem Apostolicam.

Rev.mus Relator exponit se voluisse universam tractationem de suppressione simul colligere in uno canone, maioris claritatis gratia. Mutationes introductae correspondent, plus minusve, ad immutationes factas quoad erectionem institutorum, provinciarum, domorum. Suppressio tamen instituti unice S. Sedi reservatur tam quia gravissimum negotium constituit quam ob manus appositionem iam factam in erectione eiusdem instituti.

Circa § 1

Est Consultor qui postulat ut distinctio fiat inter instituta iuris pontificii et iuris dioecesani. Respondet tamen Rev.mus Relator regulam eandem esse debere pro omnibus.

Quidam Consultor quaerit cur Episcopo denegetur facultas extinguendi institutum, si ipsi concedatur potestas ipsum erigendi. Respondet autem Rev.mus Relator id ita esse quia Sancta Sedes manus suas iam apposuit: ergo necessarium est beneplacitum apostolicum, sicut statutum est etiam quoad immutations. Rev.mus Consultor quaestionem proponens his dictis assentit.

Rev.mus Consultor: si ipsa Sancta Sedes rem gerat, inutilia videntur verba « semper tamen salva offerentium voluntate », quia de facto S. S. dispensat. Rev.mus Relator dicit tamen haec verba contineri in canone 493, praetereaque exigentias adesse iuris naturalis, a quibus nequidem Sancta Sedes dispensare potest.

Quaedam habetur disceptatio de notione et ordinatione piae voluntatis uti olim intelligebatur et uti nunc videtur intelligenda iuxta mutatas condiciones sociales. Approbatur ut haec quaestio accuratius perpendatur in proxima sessione.

Rev.mus quidam Consultor suggerit: expungantur verba « in casu » et « tamen » (Placet).

§ 2

Rev.mus Secretarius Commissionis dubitat de opportunitate verborum « salvis iustitiae legibus ».

Rev.mus quidam Consultor animadvertisit haec verba inveniri cum in par. 1 tum in par. 2, ergo forte melius est ut de hoc fiat nova paragraphus, quae esse poterit par. 4 huius canonis, ubi generatim agatur de omnibus formis suppressionis.

Exsurgit Consultor qui quaestionem proponit de fusione provinciarum, quae quidem frequentius contingit quam simplex extinctio.

Fit suffragatio, et paragraphus approbatur, demptis tamen verbis « salvis ... voluntate ».

§ 3

Rev.mus Relator explanat consensum Ordinarii in casu requiri propter opera externa apostolatus, quod quidem valet pro omnibus institutis, sive exemptis sive non exemptis, nam suppressio afficere potest organizationem apostolicam dioecesis.

Quidam animadvertisit: suppressio domus est factum frequens nostris diebus; ordinarie determinatio capitur a superiore religioso, sine praevio colloquio cum Episcopo, cui tantum remanet ius subsignandi seu approbandi id quod de facto iam statutum est.

Est Consultor qui hanc emendationem proponit: « ... re attente considerata cum Ordinario loci et ipso consentiente salvoque iure ... ». (Placet, attentis etiam quae dicuntur in M. P. *Ecclesiae Sanctae*).

Idem Consultor proponit etiam ut dicatur « ad normam Constitutionum », loco « iuxta determinationes ... statutas » (Placet).

Alter Consultor postulat ut expungantur verba « in suspensivo » (Placet).

Est denique qui proponit ut addatur in fine aliquid de bonis domus suppressae, sub hac formula: « ... de bonis domus suppressae provideant constitutiones » (Placet).

Ergo paragraphus approbatur cum supra dictis emendationibus.

§ 4

Pro hac nova paragrapho sequens formula proponitur: « In disponendo de bonis ex qualibet suppressione obvenientibus, serventur iustitiae leges et fundatorum vel offerentium voluntates » (Placet omnibus).

Canon de fusione institutorum

Rev.mus Relator hanc formulam proponit: « Uniones extinctivae institutorum religiosorum quae fusionem unius vel plurium cum alio secumferunt Sedi Apostolicae reservantur ».

Quaestionem hanc — dicit Rev.mus Relator — oportet nunc tricare, quamquam Codex vigens de re sileat, ob dispositiones datas a Concilio Vaticano II in Decr. *Perfectae caritatis*, nn. 21 et 22.

Dicit quidam Consultor verbum « fusio » minus sibi placere quam *unio* vel *aggregatio*, et proponit ut dicatur: « Uniones extinctivae institutorum religiosorum quae sive per constitutionem novi instituti sive per accessionem unius ad aliud fieri possunt Sedi Apostolicae reservantur.

Est Consultor qui excludendas esse censem expressiones « unio » et « coniunctio », utpote quae aliam habeant significationem.

Instat aliis Consultor aliam proponens formulam: « Uniones extinctivae institutorum religiosorum, sive cum ex pluribus novum oritur sive cum unum ad aliud accedit Sedi Apostolicae reservantur ».

Instat quidam ut verbum « fusio » adhibeatur, quod historice magis congruere videtur.

Exc.mus Consultor quaerit utrum uniones per accessionem dici possint uniones extinctivae necne. (Concordat Rev.mus Secretarius, quia in accessione figura instituti principalis non extinguitur).

Rev.mus Secretarius, his perpensis, hanc formulam proponit: « Fusions (uniones extinctivae) institutorum religiosorum, sive cum ex pluribus novum oritur sive cum unum ad aliud accedit Sedi Apostolicae reservantur » (Placet).

Suffragatio fit deinde circa locum huius novi canonis, et placet omnibus ut ponatur ante canonem de suppressione institutorum.

Et ita sessio absolvitur.

Pro Sessione IV:

- 1) Consultoribus transmittetur schema canonum qui nunc approbati sunt, una cum canonibus praecedentium sessionum;
- 2) Transmittetur etiam relatio;
- 3) Sessio IV habebitur probabiliter in quarta hebdomada mensis aprilis.
- 4) In Sessione ista agendum est:
 - de regimine: quomodo intelligenda sit notio exemptionis (omnes dicant quantocius quid hac de re cogitent, ad iuvandos labores Relatoris),
 - de institutis iuris dioecesani.

Romae, die 26 ianuarii 1968.

P. MARCUS SAID O.P., *Relator*

CANONES APPROBATI IN I SESSIONE

Canon

Par. 1. *Status religiosus, in quo fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, publica professione consiliorum evangelicorum, Deo summe dilecto totaliter et stabiliter mancipantur, praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ideoque ab ea speciali modo fovetur.*

Par. 2. *Haec professio consiliorum evangelicorum castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae fieri debet secundum formam ab Ecclesia approbatam et voto firmari vel alio sacro vinculo.*

Canon

Par. 1. *Nomine monachi venit religiosus qui, secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum tradita, morum conversione vitam vel anachoreticam vel coenobiticam dicit in opere Dei et in labore, ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat.*

Par. 2. *Monachus, iis tantum apostolatus vel christiana caritatis operibus incumbere potest quae cum vitae monasticae indole consanea sint.*

Par. 3. *Religio monastica per se nec clericalis nec laicalis est.*

Canon

Nomine eremitae seu anachoretae venit religiosus qui vitam complete solitariam in quiete et silentio, assiduaque prece, lectione, labore et alaci poenitentia in laudis sacrificium offert et arcana foecunditate apostolica Ecclesiam ditat.

Canon

Institutum religiosum centralizatum est illud in quo ad suos fines assequendos sodales religiosam vitam ducunt secundum easdem constitutiones sub Moderatore generali.

Romae, die 26 novembris 1966

CANONES APPROBATI IN II SESSIONE

Canon

§ 1. *Status religiosus est stabilis vivendi forma ab Ecclesia probata qua fideles, mundo renuntiantes et Christum pressius sequentes, Deo summe dilecto totaliter mancipantur per professionem publicam voto firmatam consiliorum evangelicorum, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, ita ut ad Dei honorem et servitium atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo referantur.*

§ 2. *Status igitur religiosus, qui praeclarum signum constituit in Ecclesia, gloriam Regni coelestis praenuntians, ab ipsa enixe commendatur et fovetur.*

Canon

Vota religiosa sunt vota publica in quacumque religione emissae, sive perpetue sive non, quorum effectus iure communi atque constitutionibus unicuique Instituto propriis determinantur.

Canon

Institutum religiosum est societas a legitima auctoritate ecclesiastica erecta, quaeque personalitate canonica donatur, et cuius sodales statum religiosum ad normam canonis 1 (canonis nempe descriptivi huius status) amplectuntur.

1º *Institutum religiosum dicitur clericale quod, vi Constitutionum, specialem persequitur imprimis finem, qui exercitium munerum clericorum secum fert quodque uti tale in erectionis decreto agnoscitur, et cuius igitur sodalium magna pars clerici sint oportet; secus non-clericale dicitur.*

2º *Institutum religiosum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per speciale decretum approbatum est; dicitur iuris diocesani quod ab Episcopo dioecesano quidem erectum huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.*

Canon

Nomine religiosorum veniunt etiam religiosae, nisi ex contextu sermonis aut ex natura rei aliud constet. Moniales dicuntur religiosae, quae vota religiosa emiserunt ad normam regulae et vitam imprimis contemplativam ducunt; caeterae appellantur sorores.

Canon

Domus religiosa est domus alicuius Instituti religiosi, qua talis legitime erecta; formata dicitur in qua degunt quinque saltem religiosi votorum perpetuorum.

Canon

Provincia religiosa est pars Instituti, personalitate canonica gaudens, pluribus constans domibus religiosis inter se coniunctis, sub eodem Superiore.

Romae, die 10 maii 1967

RAIMUNDUS BIDAGOR, *Secretarius Commissionis
pro hac vice Relator*

I. HERRANZ, *Actuarius*

CANONES APPROBATI IN III SESSIONE

Canon 1

§ 1. Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, Spiritus Sancti impulsus sequentes, in suo quisque territorio instituta religiosa iuris dioecesani formali decreto erigere possunt, dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus a Sede Apostolica recognitus.

§ 2. Si agatur de instituto religioso tertiariorum erigendo, requiritur praeterea praevius consensus Supremi Moderatoris primi Ordinis ad eiusdem legitimam aggregationem.

§ 3. In suo eliendo iudicio circa erectionem novorum institutorum religiosorum, Conferentiae Episcoporum caveant ne multiplicentur instituta quae fere eandem habeant naturam, fines et indolem vel similibus operibus externis incumbant.

Canon 2

Institutum religiosum in provincias dividere, novas erigere, iam erectas coniungere vel aliter circumscribere ad Capitulum generale instituti spectat.

Canon 3

§ 1. Domus religiosa, sive formata sive non formata, erigenda aut constituenda est ab auctoritate competenti iuxta normas in Constitutionibus statutas, dummodo re adhuc integra consensus Ordinarii loci in scriptis datus iam obtentus fuerit.

§ 2. Quaevis religiosa domus erigatur aut constituatur p[re] oculis habita eiusdem utilitate in Ecclesia et semper in tuto ponantur quae ad vitam religiosam rite agendam iuxta proprios instituti fines et spiritum requiruntur.

Canon 4

§ 1. Consensus Ordinarii loci ad erigendam domum religiosam secumfert facultatem:

1º vitam religiosam ducendi secundum propriam indolem, fines specificos et media peculiaria instituti;

2º item opera instituto propria exercendi ad normam iuris, salvis conditionibus in consensu praestito appositis et acceptatis.

§ 2. Praeterea, pro institutis clericalibus facultatem habendi ecclesiam vel oratorium publicum domui adnexum, salvo praescripto can. 1162, § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis.

Canon 5

§ 1. Immutationes in institutis religiosis ea affientes quae Sedi Apostolicae subiecta fuerunt fieri nequeunt sine eiusdem beneplacito.

§ 2. Ut domus religiosa ad opera apostolica diversa ab illis pro quibus constituta est destinetur, requiritur consensus Ordinarii loci, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam dumtaxat referatur.

Canon 6

Fusiones (uniones extinctivae) institutorum religiosorum, sive cum ex pluribus novum oritur sive cum unum ad aliud accedit Sedi Apostolicae reservantur.

Canon 7

§ 1. Suppressio cuiuslibet instituti religiosi legitime erecti ad unam Sedem Apostolicam spectat, cui etiam reservatur de bonis statuere.

§ 2. Provincias supprimere ad Capitulum Generale instituti religiosi pertinet secundum praescripta in constitutionibus statuta. Ei quoque reservatur de bonis provinciae suppressae statuere.

§ 3. Domus religiosa supprimi potest a Supremo Moderatore instituti ad normam Constitutionum, re attente considerata cum Ordinario loci et ipso consentiente salvoque iure recursus ad Sedem Apostolicam. De bonis domus suppressae provideant Constitutiones.

§ 4. In disponendo de bonis ex qualibet suppressione obvenientibus serventur iustitiae leges et fundatorum vel offerentium voluntates.

Romae, die 26 ianuarii 1968.

